

05

A

537



26

RECTOR  
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS

CONRADUS VICTOR  
SCHNEIDERUS

BETTERFELDA SAXO  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR  
PROFESSOR PUBLICUS, FACULTATIS MED.  
CÆ SENIOR AC h. t. DECANUS, NEC NO  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELE-  
CTORIS SAXONICI &c. &c. &c.  
MEDICUS,

*CIVIBUS ACADEMICIS*  
*S. P. D.*

51.



RECTOR  
ACADEMIE WITTEBERGENSIS  
CONRADUS VICTOR  
SCHNEIDERUS

BERGHEIMIAE  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
PROFESSOR PUBLICUS FACULTATIS MEDICINAE  
ET SENIOR ACADEMIAE DECANUS DECANUS  
SACRARIUM ACADEMIAE POTENTISSIMI  
CIVITATIS WITTEBERGENSIS  
MEDICUS

CIVITATIS WITTEBERGENSIS

1710

21





**F**uit tempus , quum nostrâ culpâ  
Deo immortali decoximus , credi-  
tasque opes indignè dissipavimus,  
exilium , carceres , & mala , quæ  
nulla ætas finiat , perpessuri , siquidem per nos-  
metipsos recipere pristinum jus , contractumq; æs  
alienum dissolvere , & prorsus atque ex asse liberare  
fidem , aut pretium , impar quantumvis & mini-  
mum , pendere necesse habuissemus. Etenim , si-  
cut miseri exhaustique debitores , rem spemque  
omnem amiseramus , delapsi in eas calamitates ,  
unde nulla hominis ope eripi , aut allevari etiam  
quodammodo poteramus. Quod foedum & nun-  
quam satis complorandum spectaculum allexit &  
valde excitavit inferos , uti ad nos perdendos o-  
mnia molirentur , jamque non secus , ac præda ca-  
ptâ venatores , exultarent. Accusabant & vocife-  
rabantur , factos nos esse perduelles , quod tantum  
tamque nefarium crimen esset , ut vindices quæri

pariterque expeti oporteret. Nec hiscere audebamus, rei quippe sceleris, quod objiciebant, ut nihil nisi occasio evertendi nos deesset, quam ex justa irati Dei ultione sumturi erant, si de omnibus praesidiis dejecti, ad interitum rueremus. Dum haec fiunt, & unâ mente unaque voce damnatur, dux & restitutor salutis Christus sententiae contra nos latae intercedit, afflictisque rebus consulit, & perculsos prostratosque homines erigit, vindicatque in libertatem. Quod beneficium omni cogitatione majus est, fidemque excedit, propterea quod Deus ipse nobis foedere devinciri, nostraque carne regi voluit, ut noxas à nobis admissas expiaret penitusque deleteret. Magna haec in genus humanum charitas sine exemplo est, & verbis exprimi non potest, gaudium verò nobis affert nullo fine terminandum, quod aeternus Deus, quem miseria nostra è caelo devocavit, jam nobiscum familiariter est, & in nobis habitat atque hospitatur. Equidem dictu incredibile est, Deum corporis affectuumque expertem, & iratum praeterea vehementerque offensum, calamitate nostrâ usque eò tangi potuisse, ut carnis humanae socius & consors fieret, ac  
dein-

deinceps se vadem pro nobis ad mortem daret,  
perqve tot certamina & labores servitutem à nobis  
depelleret, amissæqve libertatis gloriam instaura-  
ret. Moles enim poenæ, qvam subituri eramus,  
major erat, qvàm ut humanis humeris incumbe-  
ret, præsertim cum ex pristino honore dejecti, rui-  
nas nostras attoniti videremus, nec ulla gratiæ re-  
conciliandæ spes, præterqvam in Christo, ostende-  
retur. Lupi & Leones in nos incursare, & rupto ve-  
lut obice sævire crudeliter, & facere impetum, ac  
formidine omnia complere: qvorum si ineamus  
numerum, non manipuli duntaxat & cohortes,  
sed totæ legiones volitabant ante oculos, qvasiqve  
instructâ acie ad opprimendum nos progredie-  
bantur. Hæc rerum erat facies, qvum perinde ac  
oves sine duce & custode incerto & ancipiti itinere  
errabamus, hostiumqve tot laqueis irretiti, jace-  
bamus in squalore & sordibus, jamqve omnia  
spectabant ad exitium, nisi Christus pro summo  
atqve infinito amore alienam offensam suscepisset,  
domitisqve hostibus, qvasi in victoria & trium-  
pho crimina nostra expiâisset. Itaqve ratio pieta-  
tis postulat, ut animos puros emendatosqve huc  
afferamus, divinaqve ope confirmemus, præser-  
tim

tim in hoc arduo religionis nostræ capite, quo continentur salutaria Christi beneficia, quæ maxima salutis nostræ pars sunt, & mysteria ejusmodi præbent atque complectuntur, quæ sanctissimæ quoque mentes aspicere gestiunt & rimari. Congru- it ergò tempori, ut his vocibus atque his sermoni- bus rostra ac subsellia Academica personent, eò magis, quia pium laudabileque hoc institutum, est, quod ultrò suscepit excitatissimi ingenii Ado- lescens ABRAHAMUS CALOVIUS, maximi & summi Theologi, DN. ABRAHAMI CA- LOVII, Doctoris & Professoris publici Theol. in nostrate Academia primarii, & Electoral. Sax. diœcesios Antistitis generalis, Ecclesiastæ hujus urbis, atque in Senatu sacro Assessoris, Viri cum ob merita, tum ob inusitatas dotes nullis seculis tacendi haud degener, & unicus Filius, quem o- ptimæ mentis fiducia erexit, ut periculum dicen- di faceret, partesque has cum laude sustineret, imi- taturus Patrem, rei Christianæ religiosissimum, vindicem atque propugnatorem, Dei beneficio ad hæc tempora reservatum, ut Zelum priscis tem- poribus dignum revocaret, assiduumque & studio



veritatis incensum animum accuratâ & verâ docendi ratione testaretur. In qua statione positum curisque arduis distractum reficit mirificeq; delectat pulcherrimus Filii conatus, quoniam nihil vulgare & in trivio usitatum præse fert, ac artes lingvasque optimas scientiâ atque memoriâ suâ comprehendit, doctoresq; in omni laudis genere eximios sequitur, magnamq; & exquisitam doctrinam parare sibi perpetuâ ac vehementi quadâ contentione studet. Quamobrem cras ab Hora IX. in Auditorio Academiae majori de vero beatoq; & sempiterno *Fidelium* antiqui fœderis gaudio, Hebræo & sancto orationis genere aptè eleganterque magna & argumentorum, & exemplorum copia dicturus Noster est, sumtūq; ex Esaia, vate Dei afflatu excitato oraculum hujus argumenti reconditū & grave dignè & suaviter edisseret, & undenam solidum ac salutare gaudiū repeti oporteat, quibusq; radicibus alatur & crescat, quibus item nervis partibusq; contineatur, & quomodo deniq; in Christo fixum locatumq; sit, industriâ summa & decenti expoliet ac docebit, lacertosq; etiam in diviniore lingua movebit, & ubertatem elegantiasq; idoneâ dicent-

dicendi ratione commonstrabit. Agite ergò Ci-  
ves frequentissimè ad audiendum Adolescentem  
politissimum conveniatis, & studio attentioneqve  
eum juvetis, qvòd ut diligenter faciatis, cum  
multa hortantur & svadent, tum admirandi Patris  
labores & immortalia merita, pietasqve in Fami-  
liam & necessitudines inclutas, & profectò etiam  
amor erga incomparabilis spei Adolescentem jure  
postulant à vobis. Ad extremum Deo, qvi pro-  
pter nos homo factus est, supplicamus, uti hunc  
annum, qvem integri florentesqve auspiciamus, in  
fide tutelaqve & præsidio potentissimi PRINC.  
ELECT. SAXONIS JOHANNIS GEORGII II.  
procul ab omni metu & morbo, cœlitum custodiâ  
circundati & septi, feliciter atqve ex animi senten-  
tia salvi sospitesqve conficiamus. P. P. Sub

Sigillo Academiæ Kalend. Januar.

A. ∞ Ioc LXXX.


05 A 537

**ULB Halle** 3  
004 208 323  


V517 Od.







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

26

CTOR  
WITTENBERGENSIS  
DUS VICTOR  
EIDERUS  
ELDA SAXO  
MEDICINÆ DOCTO  
US, FACULTATIS MED  
. DECANUS, NEC NO  
POTENTISSIMI ELE  
XONICI &c. &c. &c.  
DICUS,

ACADEMICIS  
P. D.

51.

